



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Dissertatio XI. De Festis Veterum Prussorum diebus.


urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

DISSERTATIO XI.

De

Festis Veterum Prussorum
diebus.

- (1.) *Annorum dierumque distinctio apud Veteres Prussos ferè nulla, ut antiquitus apud Romanos, Saxones, Danos aliosque Germanos. Ratio computandi tempora per noctes. Computatio annorum per sementes & messes Gothicis usitata. (2.) Festi dies in honorem Pergubrii & Curchi instituti, Pergubria, die 22. Martii celebrata. Pocula Prussorum. Precatiuncula ad Pergubrium directa. Qui Dii his in solennibus invocati. (3.) Festus dies, Zazinek dictus, ante messem celebratus. Convivia. Ritus messem inchoandi. (4.) Festus dies Ozinek dictus, messe finita celebratus. Sacrificia in eo oblata. Ziemiennik idem qui Pergubrius. Convivia. (5.) Curchus idem fortasse, qui Pergubrius. (6.) Consecratio capri. Superiori Seculo idololatre in Sambia, die **Hochheiliger** / vocati. (7.) Ritus in consecrando capro adhibiti. Grunovii periculum. (8.) Consecratio Suis. Reliquie cultus idololatrici etiamnum in Prussia Lithuania contermina reperiuntur.*

I.  Beriolem illis, quæ superiore Dissertatione de cultu Deorum apud veteres Prussos tradidimus, scenerabimur lucem, si & Festos dies Prussorum perstraverimus. Ante autem quam de ipsis Festis diebus agamus, lubet quædam de ratione temporis præmittere. Primum constat, rudibus illis gentibus ignotam fuisse temporum distinctionem in hebdomadas, menses, annos &c. quod Dusburgensis noster *Part. 3. Chron. cap. 5. in fine*, docet his verbis: *Distinctionem dierum non habuerunt, aut distinctionem noctium*

noctium. Unde contingit, quando inter se vel ipsi cum alienis aliquod placitum & parlamentum volunt servare, datur certus numerus dierum, quo facto, quilibet eorum prima die facit unum signum in aliquo ligno & nodum in corrigia aut zona. Secunda die addit iterum secundum signum & sic de singulis, quousque perveniat ad illum diem, quo tractatus hujus modus est habendus. Simplicissimam hanc temporum observationem antiquissimis temporibus & apud Romanos fuisse in usu, discimus ex illo ritu, quo singulis annis Dictator clavum, annorum indicem, Capitolio infigebat de quo Livius lib. 7. *Hist. Rom. cap. 3.* Sed & Veteres Germanos, nominatim Saxones, simile quid observasse, tradit Richardus Vorstega in *Antiquitatibus Anglicis*, ubi ex versione Olai Wormii: Solebant, inquit, Saxones baculo pedali circiter, quandoque majori, quandoque minori cursum lune totius anni incidere &c. Deinde Veteres Germanos spacia temporum non per dies, sed per noctes computasse, tradit Tacitus lib. de *Moribus German.* Idem de Germanis habet & Julius Cæsar lib. 6. de *Bello Gallico*, cujus verba hic legi merentur: Spacia, inquit, omnis temporis non numero dierum, sed noctium definiunt; & dies natales & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. Idem observasse & Danos confirmat Johannes Loccenius lib. 1. *Antiqu. Sueo-Goth. cap. 4. ex cap. 50. & 53. Legum Indicarum.* Quoniam igitur & quosdam Prussorum Veterum, qui in Sambia aliisque Prussiae partibus Septentrionalibus habitaverunt, à Germanis & speciatim à Gothis originem traxisse dudum probavimus, idem de ipsis etiam asserendum esse videtur. Postremò de distinctione temporum generatim considerata notandum etiam est, Gothos annum per sementes aut messes, per hiemem aut æstatem computasse, quod itidem de Prussis veteribus, illis minimum, qui originis erant Gothicae, fortasse dicendum erit.

II. Maximæ veterum Prussorum Solennitates in honorem PERGUBRII, qui Deus germinum atque frugum omnium habebatur, & CURCHI, qui cibo potuique præerat, agebantur. Primus Prussorum festus dies d. 22. Martii celebrabatur, in quo Pergubrio sacrificium offerri solebat. Feriæ ipsæ appellabantur PERGUBRI. Ad has ritè celebrandas rustici conveniebant

niebant in aliqua domo, ubi illos cerevisiæ, aut etiam alterius generis potûs (cerevisiæ namque coquendæ rationem à Cruciferis demum didicerunt) dolium unum atque alterum expectabat. Hic Sacrificulus ceremonias suas exorsus, obbam sive pateram dextrâ apprehendens cerevisiâ implevit, invocansque subindè Pergubrii nomen, laudes illius decantabat. Initium earum precum dat nobis Martinus Murinius: *O wesypocie Dewe musu Pergubrios &c.* id est, *O Domine Deus noster Pergubrios.* (Obiter hic notari potest, formulam hanc non tam Prussicam, quam Lithvanicam esse.) In sequentibus eum Johannes Meletius in *Epistola citata non longè à principio*, hæc verba pronunciaffe refert: *Tu abigis hyemem, tu reducis amœnitatem veris: per te agri & horti vident: per te nemora & sylva frondent.* (ex quibus munia Pergubrii cognoscere licet) Preculis his finitis, dentibus apprehendens pateram Sacrificulus sive Wurskaitus, cerevisiam ebibebant nullo manuum adjumento adhibito, & hoc factò pateram evacuatam, retro supra caput jaciebat. Hæc cum è terra sublata, iteramque esset impleta, precabatur Sacrificulus Percunum Deum tonitruum, ut pluviam justo tempore largiretur, Picollumque cum aliis Diis nocentibus, ipsi subjectis, abigeret; precibus finitis eodem modò cerevisiâ exhaustâ pateram retro rejiciebat. Post hæc Vurskaitus Schvvayxtixtum Deum invocabat, ut justo tempore gramina, pecora, hominesque lumine suo collustraret foveretque. Quarto Pilyitum Deum orabat, ut largiretur gramina, & messem uberem. Sub hæc alios etiam Deos ordinè nominabat, ita ut in singulorum honorem pateram cerevisiæ sine manuum adjumento, ut supra diximus, exhauriret. His ita peractis omnes Prussi, quotquot aderant, bibebant ordine ex pateris canebantque hymnum in Pergubrii laudem. Reliquum diei convivii, computationibus, choreisque impendebant, ut Thomas Waisselius refert. Johannes autem Meletius cultûs aliorum, Deorum, præter Pergubrii, in hoc sacro non meminit. Ex quo colligere in proclivi est, non eosdem ritus apud diversas Prufforum gentes fuisse observatos. Quin etiam illud indè patet, apud Lithvanos eandem solennitatem pergubrii fuisse celebratam. Etenim precatio illa, quam commemorat Martinus Murinius:

rinus:

rinius: *O wesypocie Dewe musu Pergubrios*, non est Prusfica, sed Lithvanica, quam Prussus eo modo redderet: *O reykis Dewas nuson Pergubrios &c.*

III. Secundum solenne sacrum celebrabant Prussi pagani mense Augusto, cum jam messis avidas colonorum manus expectaret. Congregabantur tunc Rustici in agris ad sacrum, quod lingua Ruthenica dicebatur *Zazinek*, id est, initium messis. Congregatos rusticos, si dives ipsis obtigerat messis, adhortabatur Sacrificulus ad gratiarum actionem, quo & impofterum Deorum beneficio æque uberem consequerentur messem. Finiebatur hoc sacrum exhaustâ paterâ cerevisiæ. Quod si fruges uredine, pluviis continuis, aut alio aliquo modo corruptæ modicam gracilemque messem dederant, invocabat Sacrificulus *Auschvveitum*, ut oraret *Pergubrium*, *Percunum*, *Schvvaixitum*, *Pelvitum* aliosque Deos, ne subsequenter saltem annis largam agricolis denegarent messem. Interea temporis rustici peccata sua, quibus Deos ad iram & vindictam exercendam, provocaverant, deplorabant atque detestabantur, emendationem vitæ promittentes. Sub hæc singuli pro facultatibus suis conferebant frumentum & cerevisiam: Fœminæ panem afferebant ex primitiis frugum coctum. Exigebatur quoque multa ab iis, qui facinus aliquod admiserant, quo aut Dii aut homines læsi credebantur. Pecunia illa in commune collata ad convivium instruendum impendebatur, quod eo usque durabat, donec cerevisia jam exhausta rusticis abitur imperaret. Thomas Waisselius in *Chronic. fol. 20.* Epulis finitis unus aliquis ex convivis, cui id negotii à cæteris datum erat, messem auspicabatur solenni ritu manipulumque demesum secum domum deferbat. Postridiè primò domestici ejus, qui messis initium fecerat, dein cæteri omnes quibuscunque placebat, messem faciebant. *Vid. Johannes Meletius in Epist. de Reliqu. Boruss.*

IV. Finita messe frugibusque jam collectis sub finem mensis Octobris itidem solenne sacrum agebatur, quod Ruthenicâ lingua *Ozinek*, id est, consummatio messis (Polonis adhuc *zac*, unde *zazinek* & *ozinek* deducuntur, idem est quod *metero*) vocabatur. Videlicet rustici ex uno pago, aliquando etiam

pluribus, coacti, mensæ primò scenum, deinde panem & in utraque mensæ ora binas pateras cerevisiâ plenas reponebant. Post hæc Wurskaites sive Waidelotta quædam utriusque sexus animalia adducta, nempe porcum & porcã, gallum & gallinã, anferes & vitulos binos diversi sexus (addit Murinius ovem & arietem, caprum & capram) sequenti ritu mactabat. Idololatricis quibusdam precatiunculis dictis, animalis, quod offerendum, erat, caput & cætera membra fuste feriebat. Sequebatur eum reliqua rusticorum turba, ictus pecudi ingeminans, & sequentia verba proferens: *Hæc tibi o ziemenik Deus* (hoc dubio procul Pergubrio nomen erat Lingvâ Lithvanicâ, vel etiam, quod verisimilius Lingvâ Ruthenicâ utentibus) *gratias agentes offerimus, quod nos hoc anno conservasti incolumes, & omnia nobis abunde dedisti: idem ut & impostero facias, precamur.* Peracto sacrificio, antequam ad epulas digrederentur, singuli ex rusticis congregatis (ut vult Matthias Strykovius in Sarmatia Europæa) vel Sacerdos sive Waidelotta (ut asserit Murinius) ferculi portiunculam abscissam in omnes ædium angulos jactabant, hæc verba proferentes: *Accipe o ziemiennik grato animo sacrificium, atque letus comede.* (Et hæc erant ablegmina sive proficæ, quæ neque Romanis quondam ignotæ.) Tum demum Prussi ipsi lautè epulabantur. Hæc sacrificia suâ adhuc memoriâ in nonnullis Lithvaniæ atque Prussiæ oris fuisse frequentata, testatur Joannes Lasficius Polonus *loco citat. pag. 306.* Murinius, vel ille potius, cuius Chronicon Murinius ex Germanica in Polonicam convertit lingvam, addit super ea, suo tempore hoc Curlandis & Livonibus in usu fuisse, Sambitis etiam in Prussia, nec non plurimis Insterburgensis & Ragnitensis districtuum hominibus. *Vid. Martin. Murin. in Chron. Pruss. cap. 5. pag. 8.* Consuetudinem in honorem Deorum bibendi, quæ & Prussis erat familiaris, Gothicam fuisse fusè probat Joannes Loccenius *lib. II. Antiqu. cap. 21. Conf. & Johannes Schæfferus in Upsal. cap. 10. pag. 143.* Pateras autem apud antiquos Gothos, ut supra & de Prussis diximus, fuisse adhibitas nonnulli concludunt ex eo, quod Paulus Diaconus de Longobardis, quos itidem ut Gothos ex Scanzia oriundos esse voluit, hoc ipsum asserit: *Quod genus poculi,* ait Paulus Diaconus,

nis, apud eos Schala dicitur, lingua veteri latinâ patera vocatur. lib. de gestis Longobard. cap. 27. Sanè qui res Prussicas literis consignavere, id genus poculi Prussici in libationibus adhibiti eine Schale vocant. Verò proinde non est absimile, Gothos ejus generis pocula in Prussiam invexisse.

V. Verùm hic nobis opponi posset illud, quod jam ante ex Privilegio Prussis veteribus à Jacobo Legato Pontificis concesso produximus. Videlicet dicitur ibidem, finitâ messe sacrum, quoddam fuisse à Prussis celebratum in honorem CURCHI Dei. Quæ in eo celebrando fuerint adhibita ceremoniæ, vel quæ sacrificia Deo fuerint oblata, in dicto quidem Privilegio non exprimitur, illud tamen disertis verbis asseritur, Curcho Deo singulis annis statuam novam, contractâ vetustiori, fuisse positam. Si quid conjecturis dandum, dici posset, non fuisse has ferias in Curchi honorem institutas, à prioribus, quæ ozinek dicebantur, diversas. Quin & hoc non absurdum esse videtur, si quis statuatur, in his feriis Curchi, sacrificium capri, de quo numero proximè sequente fumus acturi, fuisse Curcho oblatum. Ut hæc statui posse existimemus non una est causa. Quod enim ad prius illud membrum attinet, Curcho & Pergubrios Dii non videntur fuisse diversi, ut ex iis primò rebus, quibus præerant, non obscure colligitur. Pergubrius quippè frugibus, Curcho cibo potuique præfectus fuisse dicebatur. Deinde eodem tempore diætæ feriæ celebrabantur, quod indicio esse potest, in unius Dei honorem illas fuisse institutas. Illud tantum discriminis fortasse intererit, quod Deus ille à Lithvanis, Ruthenis, Livonibus & Prussis illis, qui Lithvanorum sunt vicini, appellatus est Pergubrios: à reliquis verò Prussis Curcho. Accedit, quod Meletius, qui fuisse de feriis Pergubrii agit, nullam mentionem Curchi facit, quod certè aliam ob causam factum esse non videtur, quam quod Pergubrios idem Johanni Meletio, qui Curchus. Neque turbabit quempiam, quod supra Curchum inter Deos medii, Pergubrium verò inter Deos ultimi ordinis retulimus. Illa namque distinctio Deorum in tres ordines non nisi eò tempore, quo Gothi Prussiam tenuere, obtinuit, & paulo post ea tempora. Diis verò majoribus à Regibus Polonia combustis, discrimen illud sub-

iatum esse videtur, adeò ut tempore Ordinis Teutonici unus tantum Deorum fuerit ordo, quemadmodum ex Meletio liquido constat. *Vid. quæ super hanc materiã disseruimus in Dissertat. de Diis Prussorum secundi & tertii Ordinis.* Posterius illud, quod de sacrificio capri diximus, probatu non est difficile. Etenim caper immolabatur finita messe, eodem videlicet tempore, quo & Feriæ in Pergubrii sive Curchi honorem institutæ agebantur. Deindè disertis etiam verbis superiore num. dictum est, in honorem Pergubrii caprum fuisse immolatum, quod iis dubio procul ceremoniis factum est, prout mox eas explicabimus. Adde, quod Thomas Waisselius in *Chronico suo* hoc, quod intendimus, satis manifestè indicat. Cum enim duo priora Sacra, videlicet quod in Martio, & quod ante messem celebratur, enumerasset, pro eo, quod de Sacro Pergubrii tertio, finita messe celebrari solito, debuerat agere, proximè subjicit ceremonias, quas in immolando capro adhibebant Prussi; quo ipso indicat, in Sacro Pergubrii celeberrimum illud Prussorum Sacrificium fuisse oblatum.

VI. Sacrificium illud, quo CAPER, vel, ut alii habent, HIRCUS (quæ voces & Virgilio unum idemque notant, qui *lib. 2. Georg.* mox caprum, mox hircum oblatum fuisse Baccho refert. *Vid. vers. 380. & vers. 395.*) consecrabatur immolabaturque finita messe diutissimè inter Prussos duravit. Superiore namque adhuc seculo plurimi de eo conqueruntur, quod Prussi, præcipuè Sambiam incolentes, illud sacrum, prohibente licet durissimasque pœnas idololatriis intentante Magistratu, per Waidelotas suos ad id muneris delectos peragant. Georgius à Polenz & Paulus Speratus Episcopi Prutenici in Præfatione Agendæ Ecclesiasticæ Anno 1530. conscriptæ: *In hoc, inquit, angulo Prutenico, quamlibet exiguo (de Sambia loquuntur) rudiores adhuc plerosque non parum multos tum Pastores, tum oviculas habemus, Germanos, Brutenos, Ruthenos, Polonos, Masovitas, Lithuanos, atque Livonios, qui veluti alteri aborigenes in hoc Latio sedes sibi jam olim posuerunt: Reseremus etiam rem miram. Est adhuc in Bruthenis nostris Sambiensibus Sudorum quidam manipulus (ut reliquam abominationem superstitionum, reliquias gentilitatis taceamus) Hircostianum furtim nonnunquam faciens, ac instar olim Samaritanorum,*



gemein

stans in firmo nonnunquam faciens, ac in seipso. Omnia autem.

rum, una cum vero Deo vana prisci erroris numina tremens. Vid. D. Cœlestinus Mislenta in Prefation. ad Manuale Prutenicum Lit. A. 6. b. Georgius Sabinus, primus Academiae Regiomontanae Rector, lib. 5. Eleg. 5. hunc in modum de Alberto Duce canit:

*Utg, bonis studiis, ita moribus excolit urbes
Imbuit ac vera Religione DEI.
Namq, ferox hominum genus est & agreste sub Arcto
Notitiam nondum quod pietatis habet.
Ceruleos instar sed adorat Numinis angves
Maclatoque litat sacra nefanda CAPRO.*

Valentinus Srekius in Carmine Gratulatorio, quod scripsit in Ducis Alberti Senioris felicem è castris Anno 1563. reditum, sic eadem de re scribit:

*Impia relligio, vanis agitata sub aris
Cessit, & hoc cepit sub Duce pulsa fugam.
Nam populus quondam qui Numina vana colebat
Auxilii quibus & nil rationis erat
Pars Satyros Faunosq, leves venerata: litabat
Fumida suppositis ignibus exta CAPRI.*

Johannes Funccius in Commentario ad Chronologiam suam, lib. 10. ad Annum CHRISTI 1217. Populus, inquit, agrestis & Demoniorum cultui deditus in ea terra habitabat. Quod reliquia in hodiernum diem testantur, Religio summa cum Mosis institutione de sacrande & immolando HIRCO in Festo propitiationis in multis conveniebat. Quem sacrificandi hirci morem Sudavii — — ad hunc diem (licet manifeste non ausint prohibente eorum nefas pio Principe Alberto) observare dicuntur. Centum ab hinc annis Anno videlicet 1577. edidit Albertus Fridericus secundus Dux Borussiae Statuta Provincialia die Lands-Ordnung dicta, in quibus fol. 3. b. extat caput von Zauberey und Bockheiligung. ubi verba Statuti sic sese habent: Nach dem Zauberey in unserm Lande gemein-

gemein / und auch die Hochheiligung bey den Sudawen (intelligitur hic extrema pars Sambiae ad mare Balticum) noch in Übung seyn mag / wollen wir allen unsern Ambtleuten / auch von Adel / den Räten und Älterleuten in Städten und Dörffern befohlen haben / fleißig darauf zu sehen / und wo jemand befunden / es sey Mann oder Weib / so Zauberey treibt oder dem Hochheiligen und dergleichen Dingen anhängig ist / soll es uns angezeigt werden. etc. Recusa sunt eadem Statuta Anno 1640. ubi caput idem de consecratione hirci reperitur. Ob eandem quoque causam Sambiensis dicebantur die Hochheiliger / id est hircorum cultores, ut testatur Jodocus Willichius, cujus verba Dissertatione II. num. 7. dedimus.

VII. Ceremonias in hoc sacro peragendo observari solitas fuse prosequitur Simon Grunovius, qui circa Ann. 1520. Chronicon Prussiae scripsit. Has vero ceremonias non ex alterius relatione habet, sed oculis suis eas vidisse se testatur. Refert enim aliquando fortè fortuna intrasse se domum quandam rusticam, in qua multi clam, cum palam non liceret, congregati fuerant agricola. Hi simulac Grunovium conspiciunt, certatim ipsum adoriuntur omnes; mortem ipsi praesentissimam minantes. Grunovius in tanto se periculo constitutum cernens, fures rusticos Prussicâ alloquitur lingvâ mortemque deprecatur. Rustici audita Prussicâ lingvâ praegaudio exultare clamareque: *Sta nussen Rikie, nussen Rikie*, id est: Hic noster Dominus, noster Dominus. Posthac jurejurando Grunovium obstringunt (quod in nomine Percuni praestare coactus est) ne unquam hoc ipsum Episcopo, in cujus diocesi habitabant, indicaret. Ritus verò in sacrificando hirco sequentes observabantur: Conveniebant rustici ex duobus, tribus, aliquando etiam pluribus pagis in horreum quoddam, ibique ignem lignis in longitudinem dispositis construebant. Viri hircum adducebant ad locum sacrificio destinatum, feminae farinam triticeam (ex Meletii sententia siligineam) adferebant, eamque postea subigebant. Omnibus ita preparatis, Waidelotta, Grunovio teste, sublimi folio insidens, ad rusticos verba faciebat de ipsorum origine rebusque antiquitus ge-

stis,

stis, item de præceptis Deorum, quid illi ab hominibus fieri velint. Posthæc Waidelotta hirco in medium introducto utraq; manu impositâ, indigitabat ordine Deos supra jam enumeratos, nimirum Occopirnum, Antrimpum aliosque. Tum singuli rustici conscientiam peccatis contra Deos commissis inquinatam, publicâ confessione expiabant. Sub hæc omnes, quotquot in horreo præsentibus aderant, (Martinus Murinius eorum quindecim numerat *cap. 5. pag. 8. seqq.*) hircum manibus sublatum, sublimem tantisper tenebant, dum hymnus decantaretur. Eo finito rursus demittebant hircum in terram. Tum sacrificulus hortabatur circumfusam multitudinem, ut solenne hæc sacrificium à majoribus piè institutum summâ cum reverentiâ in Deos, facerent, ejusque memoriam ad posteros religiosè propagarent. Concione illâ ad populum habitâ, caprum vel hircum ipse Waidelotta mactabat, sanguinemque patinâ exceptum dispergebat, teste Johanne Meletio. Verùm Grunovius vidisse se refert, Waidelottam capro caput præcidentem, rusticos autem adstantes sanguinem effluentem simpulis, sive vasibus in hunc finem eo allatis excipientes, pecorique suo bibendum postmodum præbentes. Waisselius addit, summâ curâ Prussos cavisse, ne sanguis in terram efflueret, eoque postea domum reversos omnia pecora sua fortunasque omnes conspersisse, quod verisimilius est, quam quod Grunovium audivimus asserentem. Mactati hirci carnem pelle nudatam rustici secabant in partes, tabulisque impositam, in furno assabant, ut auctor est Grunovius testis oculatus. Meletius autem, ut & Waisselius, dicunt carnes fuisse coctas. Sed utrumque in diversis Prusis locis, vel etiam in uno eodemque pago, præsertim postremis temporibus sub ordine Teutonico, fortasse obtinuit. Cum enim ex his epulum apparatus fuisse dicatur, non assas tantùm, sed elixas etiam carnes ipsos habuisse perquam est verisimile. Interea temporis dum carnes assabantur coquebanturque, rustici singuli coram Waidelotta, morem Christianorum imitantes, flexis poplitibus peccata sua confitebantur, quæ verberibus etiam à Waidelotta acceptis expiabant. Sed mox contra rustici simul omnes in Waidelottam irruentes, caput ipsius miserè vellicabant. Posthæc mulieres quoque docebantur, quomodo

modo vitam suam instituere ipsas oporteret, si Deorum gratiam promereri vellent, teste Grunovio. His peractis viri ignem illum, quem in longitudinem lignis dispositis excitatum fuisse diximus, circumstabant (ut refert Meletius) vel circumfidebant (ut habet Waisselius;) mulieres autem è farina filiginea, ut ex Meletio jam audivimus, placentas sive liba conficiebant, quamvis Waisselius farinam illam triticeam fuisse asserat. Has placentas non imponebant mulieres in furnum: sed viri ignem dictum, circumstantes, vel circumfidentes hinc atque illinc per flammam eas jaciebant, & jactatas excipiebant, donec flammâ indurarentur coquerenturque. Postremo rustici ad epulas se conferentes potabant ex cornibus strenuè toto die & nocte. Summo mane, ut adhuc erant ebrii, extra villam progressi, reliquias ciborum certo in loco terrâ injectâ operiebant, ne ab avibus vel feris diriperentur. Omnibus his peractis, suam quisque domum repetebat. Legi de his possunt Grunovius, Meletius, Hennebergerus, Schuzius, Murinius, Waisselius, aliaque MSS. Chronica recentiora. Illum morem ex cornibus bibendi fuisse omnium olim septentrionalium gentium ex Plinio constat, qui consuli potest *lib. XI. Nat. Hist. cap. 37.* Dabitur & infra de re agendi locus.

IIX. Ad consecrationem hirci referimus etiam consecrationem S U I S, quam rustici in diecesi Pobetensi in Samlandia, An. 1531. instituerunt. Ibi enim in præsentia utriusque sexus hominum per sacrificulum certis ritibus ex medio sui ad id negotii delectum cum recitatione precum idololatricarum & invocatione Cacodæmonum sus mactabatur fausti ominis ergò cujus caro à sacrificantibus omnibus frustatim concisa & assa devorabatur, epulis usque in septimum diem protractis. Ossa verò Suis, ut & residuæ particulæ igne cremabantur extra domum, teste Hennebergero *de Vet. Pruss. Conf. & D. Cœlestinus Mislenta in Præfat. ad Manuale Pruten.* Tradit etiam Mislenta ante annos aliquot certo & statò tempore Rusticos sub noctem omnis generis edulia præparasse, primitias quoque certis preculis consecrassè. Ad quarum absorptionem cacodæmone invocato, conclave illud obserasse, ut malus iste genius solus relinqueretur. Omnibus tunc dome-


domesticis sub extremo vitæ discrimine in conclave illud eo tempore interdicebatur ingressus. Credebatur hoc pacto cacodæmon placari, ne noxam aliquam pecori vel frugibus inferret. Quamplurima alia in Districtu Insterburgensi & Tilsensi se observasse mihi retulit Vir Clarissimus Dn. M. Prætorius, quæ etiam dubio procul in Chronico Prussiæ, quod parat, nobiscum communicabit. Sed & nos in sequentibus Dissertationibus, ubi dabitur occasio, plurima de idololatricis id genus ritibus & ceremoniis dabimus. Hæc verò de festis Veterum Prussorum diebus sufficiant.

DISSERTATIO XII.

De

Nuptiis Veterum Prussorum.

- (1.) *Venedi habuerunt conjugia non promiscua & vaga, sed certa. Idem de Gothis & Prussis, quos Ordo Teutonicus domuit, asseritur. (2.) Numerus uxorum apud Prussos. (3.) Gradus Consanguinitatis & affinitatis an fuerint observati. Novercas licebat uxores ducere. Inter plures una uxor erat præcipua, imprimis si esset ex genere Gothico. (4.) Rapiebantur non ducebantur uxores. Emebantur à Parentibus. Servarum instar habebantur. Apud Scythas & Gothos uxores erant indotatæ. (5.) Pœna adulterii. Pœna uxori inobedienti irrogari solita. Tempus luctus defunctæ uxore. Vidua quomodo fieri potuerit Waidelotta. Expositio Liberorum. (6.) Ritus nuptiales.*

I.  Rimos Prussiæ nostræ incolas VENEDOS antiquissimis etiam temporibus legitima habuisse conubia, non absurdè statuitur. Etsi enim Scythæ, quibus & Venedi sunt annumerandi, more multa-